

# Beiband 2

H.I S. 10

1108 September 17.

[14]

Bischof Heinrich II von Paderborn schenkt dem Kloster Helmarshausen Güter in Wülfersen (Pr. Hofgeismar).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus ipsa propiciante sancte Patherbrunnensis ecclesie episcopus. Notum esse volumus tam futuris quam presentibus cunctis ecclesie Christique fidelibus, nos penitentia peccatorum nostrorum neconon et spe futre retributionis ductos sancte, que in Helmwardeshuson est, ecclesie, in honore domini salvatoris neconon et beatissimi apostolorum principis Petri constructe, nobis commisso, quicquid proprietatis ecclesia nostra possederat in villa Wilmeressen nuncupata, rogatu precipue Ottonis comitis, qui dicebatur debilis, atque consensu cleri sancte Patherbrunnensis ecclesie contulisse et iure perpetuo cum omnibus appenditiis, id est agris cultis et incolitis, pratis, paschuis, aquis aquarumve decursibus, punctionibus, silvis et cunctis redditibus in proprietatem ad usum Deo illic servientium tradidisse, legasse, concessisse pro salute corporis et anime nostre et memoria antecessoris nostri Popponis episcopi atque felicis memorie Immadi episcopi et omnium predecessorum nostrorum. Huius rei sunt testes Ero comes, Elverus, Manegoldus, Hildiboldus, Echbertus, Hugo, Liuppoldus, Waltherus et alii quam plures. Ut igitur haec firma illi ecclesie defunctisque prenotatis permaneat, haec describi iussimus et sigilli nostri impressione signavimus, banno quoque domini nostri Jhesu Christi et beatissimi apostolorum principis Petri nostraque, quam a Deo accepimus, ligandi atque solvendi auctoritate firmavimus et firmamus. Si quis autem haec infringere vel destruere presumpserit, sese cum omnibus sibi cooperantibus anathemate perpetuo ab eo, quem offendit, beato Petro dampnatum noverit.

Data XV. Kal. Octobris, anno dominice incarnationis millesimo centesimo VIII. indictione I., ordinationis vero Heinrici episcopi anno XXIII.

Orig. Siegel beschädigt. — Die Zeugen sind mit anderer Tinte später geschrieben. Eine durch den Paderborner Kleriker Tilemannus Notes beglaubigte Abschrift des 16. Jahrhunders liegt bei.

Druck Schaten ad ann. Vergl. W. U.-B. I Reg.-Nr. 1357. Wend, Heß. Landesg. II Nr. 51, S. 72. Pfaff, Helmarshausen, S. 155.